Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Lectionarius de tempore, sectio partis hiemalis - Cod. Aug. perg. 14

[S.l.], [9. Jh.]

Evangelienlesung nach Iohannes

urn:nbn:de:bsz:31-20216

Visual Library

et dominum in suo praestito non cessasse et
te indigne ac sacrilege contempsisse;
confessioni criminis venia est contemp-
toris; cito flectitur ut ignoscat quia ad
hoc improperat ne defendat; Non te dominus
contemnit si redeas et si tu contempseras
cum abibas; non te despicit revertentem
qui aliquando horruit desertorem; tuos
non esse pernecabit redditur qui ut redeas suos
demonstrat affectus; Revertimini inquit
ad me et revertar ad vos; Et iterum nolo
mortem peccatoris sed tantum revertatur
et vivat; cupit ignoscere desiderat mise-
reri desertoris prius venit preces dum ipse
hortatur ut homo qui deseruerat re-
vertatur; Desertores desertus invitat
contempnentes contemptus revocat
offensus reis se ingerit ut ignoscat quatenus
desertor redeat contemptor serviat
fidem fidelis exhibeat ut et desertori in-
dulgentiae et contemptori veniam et
fideli gloriae caelestis tribuat imperator;

Item de eadem dominica. Lectio

I sancti evangelii secundum iohannem
In illo tempore dixit ihesus turbis quis ex vobis
arguet me de peccato si veritatem dico quare
non creditis mihi qui ex deo est verba dei
audit propterea vos non auditis quia
ex deo non estis et reliqua.

Omelia lectionis eiusdem beati gregorii

Pensate fratres karissimi mansuetudinem dei
Relaxare peccata venerat et dicebat;
quis ex vobis arguet me de peccato non de-
dignatur ex ratione ostendere se peccatorem
non esse qui ex virtute divinitatis
poterat peccatores iustificare; sed terribile
est valde quod subditur: qui ex deo est
verba dei audit; propterea vos
non auditis quia ex deo non estis; Si
enim ipse verba dei audit qui ex deo est
et audire verba dei non potest quisquis
ex illo non est; Interroget se unusquisque
si verba dei in aure cordis percepit
et intelleget unde sit; caelestem patriam
desiderare veritas iubet carnis desideria
conteri mundi gloriam declinare aliena
non appetere propria largiri.
Penset ergo apud se unusquisque vestrum
si haec vox dei in cordis eius aure convaluit
et quia iam ex deo sit agnoscet; Nam sunt
nonnulli qui praecepta dei nec aure corpo-
ris percipere dignantur et sunt non-
nulli qui haec quidem corporis aure
percipiunt sed nullo ea mentis deside-
rio complectuntur; et sunt nonnulli
qui libenter verba dei suscipiunt ita
ut etiam in fletibus compungantur sed
post lacrimarum tempus ad iniqui-
tatem redeunt; Hi profecto verba
dei non audiunt qui haec exercere in ope-
re contemnunt; vitam ergo vestram
fratres karissimi ante mentis oculos revocate